Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

~~1626~~ 1336

QVÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 20. Martii.

M. CLAUDIO DE FRADES, Doctore Medico, Præſide.

An Mulieri gravidæ conducit deambulatio?

FOEMINA, in cujus eleganti fabrica partes inter ſe omnes cum quodam lepore conſentiunt, non eſt Naturæ παρέκβασις, imò ſuis ipſa numeris omnibus perfectum & expletum Animal ab illa intenditur, quæ luculentum ſuæ dedit ſpecimen induſtriæ, dum in eam ut ſui delitias, tot veneres & Gratiarum ornamenta congeſſit. Hæc, quanquam Animæ nobilitate Viro non inferior, ab eo tamen Animi viribus plurimùm diſſentit, & dotes poſſidet longè diverſas, ſicut quod in ipſa concinnum, venuſtum, politum & comptum apparet, id ipſum in Viro effœminatum, fractum, molle & abjectum habeatur. Neque etiam partium tantummodo generationi inſervientium ſitu & numero, ſed & earumdem ſtructurâ, frigidiorique & humidiori totius Corporis temperie à Mare diſcernitur. Hæc digna Conjugis amplexibus, ejuſque adjuta conſortio, in ſe ipsâ generat, multumque confert ad opus omnium maximè naturale: unâ enim cum ſanguine, quem, antequam huic operi navet operam, ut ſuperfluum & ſolâ copiâ excrementitium ſingulis menſibus excernere ſolet, ſemen quoque ſufficit atque ſubminiſtrat, quod non ſemper virili poſtponitur: utrumque non animatum, utrumque prolificum eſt, & è ſolis teſtibus decidit, ad quos longo viæ tractu per vaſa ſinuoſa arte ſingulari Naturæ purior ſanguis ampliſſimis ſpirituum copiis comitatus appellit, ut morâ diuturniore materia ſeminis præparetur, præparata à teſtibus rapiatur innatâ proprietate, ut unicuique parti Corporis inſitum eſt, proprium & ſibi conveniens alimentum attrahere, more ſtirpium, quæ cognatum humorem & ſibi magis familiarem ex parente omnium Tellure ſugunt & dulciter prolectant.

UT promittunt divitias quas non exhibent pauperes Alchymiſtæ, dum Auri ſacrâ fame luridi ac penè enecti, alibi quam in fodina confici atque fabricari contendunt: ſic illi parum ſui ſunt memores, & magno conatu magnas nugas dicunt, qui alium ab Utero locum Homini generando ſubſtitui poſſe nimium Credulis perſuadent. Jaceret ſanè divina vis inſita ſemini, niſi mirabili Uteri virtute ſuſcitaretur, ubi, velut in ſolâ humani diverſorij cellulâ, neceſſarii concurrunt Apparatus; unique huic parti nobiliſſimæ innata Virtus eſt ſemen proliciendi, in actum promovendi, ſuoque ſinu & complexu amabiliter fovendi: Atque ex Parentis utriuſque nexu & conſuetudine, ſeminis ab utroque emiſſi integritate, arctaque illius intra fundum Naturæ feraciſſimum retentione, & retenti promotione ad officium, tantæ molis Opus exurgit, & prægnans evadit Mulier; Cujus graviditas non ex ſolo ventris tumore, aut menſtruorum ſuppreſſione, non ex oculis ſublividis, aut urinarum ſubſtantiâ colore & ſedimento, ſed ex Fœtus motu, ut certo & indubitato Hominis inchoati inditio, dumtaxat agnoſcitur, qui recipit & adipiſcitur in Utero tanquam in verâ vitæ Officinâ nutrimentum, accretionem, maturitatem, & ſui Carceris impatiens ex illius latebris tandem emergit, ut lucem ſuaviſſimam aſpiciat.

MULIEREM utero gerentem velut agmine facto pravorum affectuum Ilias confeſtim invadit: modo ex depravatâ appetentiâ variorum premitur deſiderio, quæ interdum aut acida aut acerba aut acria & ſalſa ſunt: modò expetit teſtas, carbones, veteres pannos & alia peregrina & à Naturâ proſus abhorrentia: Modo illam fatigant & affligunt animi deliquia, gravedines, Capitis dolores & dentium acerbiſſimi, ſcreatus frequens, Nauſea; vomitio quoque plerumque comitatur eorum maximè humorum qui in præcordiis redundaverint; flatus ſæpiſſimè permulti circum clauſtra fremunt, qui diſtendentes abdomen ſæviſſimos cruciatus inferunt; Totum denique Corpus, iners, plumbeum, languidum, importunâ laſſitudine fractum fatiſcit: Hæc & aliæ graviſſimæ quæ impendent procellæ, crebrò ortum repetunt ex vitioſo quodam recremento ob ſuppreſſos menſes ventriculi tunicis impacto, aut ex impuris vaporibus; Nec rarò quoque contingunt Prægnantis incautæ vitio, quæ & nimio languefcit ſitu & pigritiâ, & omnis generis cibis indulget ac ſeſe ingurgitat, quorum pleriſque malè creditur; undè ſuæ quaſi libidini relicti humores, necamplius edomiti à Naturâ, quæ penitus incumbit conformationi & perfectioni fœtus, magnâ copiâ coacervantur, & obſtructiones pariunt, nec non expiratione prohibitâ putredinem, & ferocem in dies induentes indolem magnas ſtrages edunt ubicumque ponunt veſtigium, cunctaque intus diruunt & turbant, ex quibus febres variæ ac infinitæ penè calamitates erumpunt.

QUEMADMODUM qui nullis ſe Corporis motibus exercent, & inertiæ quietique perpetuæ ſe totos addicunt, craſſitie & gravitate Corporis enervati, deteriori valetudine fruuntur, ut quos occupat & obruit uberrimus excrementorum proventus, quæ calorem nativum intercipiunt, Corpus refrigerant, & morbis frigidis atque humidis materiam ſuggerunt: Sic graviſſima ſibi importat mala gravida Mulier, dum à quacunque Corporis exercitatione prorsùs abducitur, ſibi & fœtui non parum amicâ & ſalutari. Cauſam Sanitatis conſervatricem agnoſcit pars Medicinæ ſalubris motum & exercitationem: æquis illius legibus impunè nemo refragatur: Non ſinit ergo quemquam, cujuſcumque ſit ordinis & conditionis, abſque magno ſui detrimento, ſe totum dedere quieti, languori & deſidiæ; his vitiis ipſamet Natura reclamitat. Sic recens natis agitatio in cunis tenet locum exercitii, qui jam uteri latibulis concluſi, motu & calcitratu inſtituerant exercitationis cujuſdam rudimenta: pueris competunt luſus & curſus temperati; adultis & robuſtis pila palmaria, venatio, equitatio; ſenibus ut jam effœtis & imbecillis, gravidis Mulieribus, convaleſcentibus & nondum è morbo recreatis, deambulatio. Iſtæ exercitationes cuiſque ætati & temperamento congruentes & idoneæ, ad proſperam valetudinem iter munitum ac exploratum exhibent, quarum ſcilicet virtute & beneficio gravium propulſantur ægritudinum incommoda, quibus ob ventilationem occaſio præciditur; Nec non excrementa diſcutiuntur, ſuâ exuperantiâ morâ & cunctatione perniciem aſperſura viſceribus; Calorque nativus ſolutus & liber redditur vegetior, alimentorum concoctio diſtributio nutritioque fit fœlicior, & functionum integritas totiuſque Corporis robur prodit.

SUOS Fœtus & maternos patitur Manes, dum ad rem ſuam parùm attenta gravida Parens, veterno torpet & hebeſcit ignaviâ, amplamquè excrementorum ſegetem congerit, quorum colluvie & contagione ſordeſcit & inficitur ſalutare Fœtus pabulum, cujus benignitate deſtitutus, pravè nutritur, languorem vitioſamque conſtitutionem contrahit & labem, quæ, quamvis ipſa cupiat Salus, nuſquam eluitur. Sic caducis principiis ſatus, & inops vitalis fundi, naſcitur iniquis conditionibus, ᾧ ὅλος ὁ χρόνος τῆς νόσος εἰν. Felix ille è contrario, qui toto geſtationis tempore ex puro & laudabili ſanguine materno, ut primo ſui alimento, vim ortus ſui duxerit & temperaturam in morbos nequaquam proclivem, ut non minus bonâ conſtitutione, quam fortunarum poſſeſſione gaudeat. Fœtus ergo magnos percipiet ſanitatis fructus, neque huic & ſibi fœlicitatem exiguam accerſet gravida Parens, ſi ſervatâ idoneâ victus lege, cæteriſque ad hunc ſtatum requiſitis, moderato corporis motu ſe exerceat, non quidem vectatione in curru, quæ frequentiores abortus ciet, Mulieri vacanti ad tædium demulcendum præſcribendâ; non aliis laboribus ſeu exercitiis, Pueris, adultis & robuſtioribus conceſſis, in quibus Corpus nimium agitatur; verùm deambulatione cuique graviditatis tempori accommodatâ, per vias tritas, planas, à Solis ardoribus tutas, Platano cœlibe conſperſas & opacas, cujus uſu jucundo in gratiam redit cum alimentis ſalubribus, corpus univerſum nonnihil incaleſcit & ventilatur, onuſtum levatur, ac ſuperfluis pleriſque vacuum evadit, facilis fit & libera ſpiratio, omnis laſſitudinis ſenſus caſtigatur; Cauſaque tot affectuum quibus graviditas opportuna eſt, quaſi ſtatione relictâ, diſſipatur & evaneſcit: Quæ demùm artubus potiſſimum inferioribus, uteri ligamentis, muſculis abdominis vigorem qui ſufficiat ventris oneri, firmitatem & alacritatem procurat: hinc vires ſe proferent ante omnia labori partus ſuſtinendo pares, qui naturalis conditiones ſortitus, haud dubiè, Lucinâ etiam non opem ferente, fauſtum habebit eventum, & Prægnans pulchrâ faciet ſe prole parentem.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Ergo Mulieri gravidæ conducit deambulatio.

Aſſerebat Pariſiis PONTIUS MAURIN, Pariſinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1681.